

Deorum suorum differentiam, ut alii essent *superi*, alii *inferi*, alii *semi-dei*, quo *Heroes* vulgo referebantur, qui post fata sua quasi canonisabantur seu inter semi-deos referebantur, iuxta illud profanum imperatoris CARACALLAE, occidentis fratrem suum GETAM: *sit Diuus, dummodo non sit viuus*, & hoc intuitu eos triplicem quoque differentiam ratione *consecrationis* constituisse, ut aliae res consecrarentur diis *superis*, templa scilicet & altaria; aliae *inferis*, ut sepulcra; aliae denique *semi-deis*, ut muri & portae: quod pro defensione eorum ceciderant. Vid. THOMAS. *in monit. ad disput. de iure princ. circa adiaph. §. 16.* Alii vero docent, templa *diis superis*, sepulcra *diis manibus*, quos circa sepulcra pererrare crediderunt, muros, portas & valla *deis tutelariis* ciuitatum consecrata fuisse. Alii aliter. Quicquid sit, omnes in eo conspirant, res tales Diis consecratas fuisse, & propter has *consecrationes* patrimonio Deorum *priuatue* adscriptas, & hinc inter res nullius, quae ne quidem ab aliquo acquiri possent, relatas fuisse.

Consecratio  
primitiuae  
ecclesiae qua-  
lis?

Opinio de  
singulari san-  
ctitate rebus  
inhærente  
quando cœ-  
perit,

§. III. Sicuti vero in primitiua ecclesia templa proprie dicta non fuerunt; ita etiam *res sacrae* hoc sensu fuerunt incognitæ. Sed postquam *templa* certatim ædificata sunt, statim etiam ad *consecrationem* quandam, non tamen in sensu gentilium, prolapsi homines, quamuis in ceremoniis tantum indifferentibus quibusdam consisteret, ut scilicet parœcianos conuocarent, dein verbum Dei ac sacramenta tractarent, & denique precibus, hymnis, & piis votis totum actum peragerent. LINCKIUS *de iur. templ. c. 6. n. 10.* Sequioribus seculis plures superstitionis plenæ ceremoniæ adiectæ sunt, quod *cit. l.* fusius explicat. Quodsi itaque eorum temporum, ubi iam superstitione omnia repleta erant, indolem & mores intueor, credibile est, templis, altaribus, aliisque vasibus ita consecratis singularem sanctitatem attributam fuisse. Cleri enim iam tum papizantis intererat, ut rudis plebecula eo rectius ad superstitionem præpararetur, & sic quoque in obsequio erga clerum retineretur: id quod ex variis CONSTANTINI M. constitutionibus colligimus. Vid. *l. 1. C. de SS. eccl.* Atque hæc, de *sanctitate singulari* ipsis lapidibus templorum inhærente, superstitiosa opinio successu temporum tam altas radices egit, ut post reformationem sine dubio ex veneratione erga ius Romanum haud fuerit expurgata. Pluribus id ad oculos demonstrare possem, si ratio instituti id permetteret. Quem in finem enim, ubi quis forte fortuna templum intrat, statim caput denudat? cur tot in nonnullis locis coram altari fiunt genuflexiones? cur tot insolita prædicata templis tribuuntur? Certe id nulla alia ex causa mihi